



Nr. 3

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.



26

QUOD DEUS BENE VERTAT  
THESES  
CIRCA CAUTIONEM  
IN CRIMINALIBUS  
RECIPIENDAM, VEL NON.

*Quas*  
INDULTU  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
IN PERILLUSTRI ALBERTINA  
SUB PRÆSIDIO  
PRÆNOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
*Atq;* CONSULTISSIMI

DN. THEODORI PAULI,  
U. J. D. & Professoris Primarii,  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTO-  
RIS BRANDENBURGICI CONSILIARII, ET JUDICII  
AULICI RERUM CRIMINALIUM PRÆSIDIS,

*Domini Patroni atq; Promotoris sui estimatissimi,*  
Pro Facultate legendi in utroque Jure

*discutiendas exhibet*

JOHANNES KREMTZOVIVS,  
STETINENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI,

*Ad diem 19. Octobr. Anno M. DC. XCVI. Horis consuetis.*

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO  
ATq; CONSULTISSIMO

DN. GOTHOFREDO

Schmidten /

Serenissimi ac Potentissimi Electoris  
Brandenburgici, &c. &c. &c. Consiliario Aulico gra-  
vissimo, ut & Supremo in Prussia Intimorum Status  
Consiliorum Rerumque Feudalium Secretario  
longè meritissimo.

EJUSDEMQUE GENERO FELICISSIMO,  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
ATq; CONSULTISSIMO

DN. SAMUELI  
SELLIO,

Serenissimi ac Potentissimi Electoris  
Brandenburgici, &c. &c. &c. Consiliario gravissimo,  
Summi Tribunalis in Ducatu Prussiae Secretario  
Vigilantissimo,

*Dominis Patronis atq; Fautoribus suis*

Has Theses in sui commendationem

*offert*

AUTHOR.

I. N. D.

THESIS I.

**P**ostquam Accusator aut Delator sive per se, sive per Procuratorem de Indiciis stringentibus Judicem informavit, isque inde suspicatur fugam Rei, procedit ad capturam ejus, ne judicium reddatur elusorium.

THES. II.

Quia verò carcer est mala mansio & plurimum incommodi secum trahit v. l. 2. § 3. ff. de Cust. Reorum, adeò ut dicatur Sepultura Vivorum, Consummatio Bonorum, Consolatio Inimicorum, Experientia Amicorum, &c. æquitatis Ratio poscit ut parcatur delinquenti si satsidet judicio sisti, &c. argumento sumto ab æquipollentibus; modo circumstantiæ tales adsint, quæ cautione æquè cautum fore justitiæ inferunt, quàm custodia.

THES. III.

Recensentur autem ejusmodi circumstantiæ in l. 1. ff. de Custodia Reorum, cujus verba: *De Custodia Reorum Proconsul estimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel Fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas Facultates, vel pro innocentia persona, vel pro dignitate ejus, qui accusatur facere solet.*

THES. IV.

Qualitas Delicti primo loco ponitur, eaque potissimum inspicienda, adeò ut ea requirente Carcerationem, non respiciantur Honor, Facultates, Dignitas. l. 3. ff. eodem.

THES. V.

Æstimatur autem qualitas Delicti cum ex causis, tum ex effectu sive pœna. Sic in Homicidio inspicitur cur occiderit,

ubi, quibus armis, in qua corporis parte percusserit. In Veneficio indagatur ubi emerit, à quo, quando, quanti, per quem dederit, an vires Veneni sciverit. vid. Oldekop. *Caut. Crim.* l. 4. *caut.* 23. add. *Ord. Crim. Caroli V. art. 48. usque 52.* At verò quoniam de hujusmodi qualitatibus demum è ventilatione causæ constet, Rei verò maximam partem ante processum inchoatum, vel in limine ejus cautionem offerant, potissimum quoad cautionem recipiendam, respicienda erit pœna Delicti, de quo quæritur ordinaria; An ea sit Capitalis, Corporalis, Arbitraria vel Pecuniaria.

### THES. VI.

In Crimine cujus pœna est ultimum supplicium, cautio admissibilis non est, etiamsi mille fidejubere velint. Beust. *ad l. admonendi de Jurej. n. 257.* quia ne aliud pro alio offeratur ad eandem pœnam se obligare tenerentur, quod facere non possunt, nemo enim est Dominus membrorum suorum l. 13. §. 1. ff. *ad L. Aquil.* saltem ad pœnam pecuniariam obligare se possent; Cui fidere esset res periculi plena, qualis enim est proportio inter pecuniam & Crimina atrocita, e. g. Atheismum, Societatem cum Diabolo, Crimen læsæ Majestatis, Sodomiam, Homicidium, Adulterium, &c. Ampliatur Thesis ut ne quidem tempore Paschali aliisque magnis Festis sub cautione dimittantur, vix enim tantam quis habeat pietatis rationem, quin pedibus sibi consulat Fidejussoribus quibuscunque datis. vid. Ruland de Commissariis P. 2. L. 4. c. 16. n. 1. ubi plures alleg. vid. l. 3. C. de Episc. Aud. Nec obstat durum esse personas illustres & egregias carceribus constringere, ita enim lex scripta est, l. 12. §. 1. ff. *qui & à quibus manumissi*, deinde imputent sibi, quod fuerint immemores Natalium atque Profapiæ. Reatu enim tum Majorum, tum propriæ virtutis encomia & prærogativas perdunt.

arg.

arg. l. 5. C. ad L. jul. Maj. Imò aliquando Dignitas Delictū auget, scilicet quoties cadit in contemptum Dignitatis, e. gr. si miles artem ludicram fecerit, vel in servitutem se venire passus sit, capite puniendus est. l. 14. ff. de Pœnis. add. l. 2. §. 1. ff. de Re Militari. l. 8. C. de Episc. & Cler. c. 12. X. de Jurej. Stryk. ad Struvii Jurispr. L. 1. t. 1. apb. 5. ax. 5. quia tum dupliciter peccatur & in dignitatem, & in leges. Interim semper cum egregiis personis majori cum temperamento proceditur. Farin. q. 33. n. 60. seqq. Custodiendi utique sunt sicuti viles, modus verò custodia variabit. Neque obstat l. 6. §. 3. C. de Appellat. v. seqq. c. cum homo c. 23. q. 5. ubi exorbit. certi loci. Limitatur autem (1) Si carceratus sit ægrotus & commoda ejus ratio haberi in carcere non possit, v. Oldekop. Caut. Crim. t. 3. caut. 4. n. 1. (2) Si præsumtio sit pro Reo vel is se possit jure defendere. l. 6. §. 3. C. de Appell. Reiger. voce Carcer. n. 100. e. gr. Si ob homicidiū incarceratus verisimilia indicia inculpatæ tutelæ afferat, super quibus ab adversa parte moveatur disputatio, quæ prolixo indiget vel agitur Processus ambagine. Mev. ad j. Lub. L. 4. t. XI. a. 2. n. 8. (3) Si testes accusatoris diu absint aliaque concurrant. Oldekop. d. l. (4) Si reus absens sit v. Th. f. In dubio autem judex ad relaxandum inclinare debet. Reiger. d. l. add. Brunnem. III. Dec. 42.

### THES. VII.

In Delicto cujus poena corpus affligit, e. gr. si venit infligenda amputatio manus, vel alterius membri, suffligatio sive ictus fustium, condemnatio ad ergastula, Fortalitia, Vincula Nautica sive triremes, non admittitur cautio, propter eundem amorem erga corpus & membra, quem erga vitam homini natura indidit. Oldekop. t. 3. Caut. Crim. 4. Faber in C. L. 2. t. 39. def. 16. Mev. ad j. Lub. d. l. art. 2. n. 2. consentit Pr. L. N. L. 6. t. 1. art. 6. §. 14. & a. 7. §. 1. Exemplum occasione absentia

Patrisfamilias bene pota dat Nutrix, quæ infantem in lecto suffocavit, quia ibi ad fustigationem deveniri potest propter culpam latam, etsi dolus absit. Conf. Carpz. *Crim. q. 15. n. 22. & 33.* Limitatur Regula data modo inter sit Reum esse tempore exequendæ sententiæ præsentem, h. e. modò ea non æquè executioni dari possit in absentem quàm præsentem. Sic Relegatio Territorialis corpus affligit (aliquando cum aliquando sine infamia pro ratione causæ sive Delicti) Lynkerus *ad Str. ff. Ex. 47. Tb. 39.* Interim hoc casu cautio admittitur Carpz. *q. 112. n. 45.* Damhuderus *Crim. c. 19. n. 5. c. 20. n. 1.* add. Mev. *3. Dec. 190. p. 1.* ubi hoc casu carcerationem non esse necessariam dicit, sed sufficere Arrestum, quod tamen rectè limitatur in persona levi præsentem propter urphedam à Releganda præstandam. Carpz. *Crim. q. 111. n. 11.* Ampliantur de Relegatione dicta ad carcerem temporalem, argumento à majori ad minus, si enim Reus per fugam eam effugiat, sibi imputare habet, quod majorem relegationem scilicet per fugam elegerit. De carcere perpetuo aliud dicendum est, is quippe ad pœnas capitales refertur. Carpz. *Crim. q. 111. n. 56.*

#### THES. VIII.

In Delicto Arbitrario iudex arbitratur an circumstantiæ svadeant quod possit deveniri ad pœnam corporis afflictivam & tum non dimittitur, sin secus contra. Mev. *ad jus Lub. P. 4. c. XI. a. 2. n. 15.* Damhud. *Crim. c. 20. n. 8.* eadem ratio servatur in alternativis. Damhud. *c. 19. n. 7.* Rubæus *in Pr. Crim. Reg. 158.*

#### THES. IX.

In delicto pecuniario admittenda est cautio. Covarr. *V. R. L. 1. c. 8. n. 8.* Damhud. *d. l.* quia malitia est alium affligere non securitatis lucri aut commodi, sed impii gaudii ergo; etiamsi in subsidium corporalis infligenda esset. Reiger. *voce Carcer. n. 97.* nisi confessus vel convictus sit. *l. 5. ff. de Cust.*

Reo-



*Reorum*, quæ limitatio ampliatur etiamsi probabili & legitima exceptione se defendere intendat, quamvis enim hoc casu pro confesso non habeatur, juris tamen præsumptio stat contra ipsū *arg. l. 1. § 17. ff. de Qq.* vid. Zanger. *de Except. P. 2. c. 5. n. 15. seqq.* Plures limitationes habet Reiger *d. l. n. 122.* Hipp. de Marl. *in Pr. §. attingam n. 3. usque 7.* quas ex parte refutat Carpz. *Crim. q. 136 n. 83. seqq.* add. Theodoricus *Jud. Crim. c. 4. apb. X. n. 43. 59. seqq.*

#### THES. X.

Pro singulari tradunt, quod in crimine falsi non admittatur cautio etiamsi saltem pecuniaria sit statuto introducta. Menoch. *cas. 303. n. 12.* Marcus *de Mantua singulari 16.* Oldekop. *Caut. Crim. t. 3. caut. 4. n. 10.* quæ traditio fundamento caret. Farin. *q. 33. n. 30.*

#### THES. XI.

Hactenus de qualitate Delicti sequitur qualitas Delinquentis, ubi primò se offert Honor. Accipitur verò Honor propriè *v. l. 6. pr. ff. Mandati.* (1) generaliter pro prærogativa quadã ex vitæ morumque probitate vel à Natura aut quandoque à Fortuna causata, qua quis à vilibus personis simplicibusque plebeis distinguitur. Sic accipitur *in l. 42. ff. de Donat. inter V. & U.* (2) Specialiter pro officio circa Administrationem Reip. cum Dignitatis gradu sivè cum sivè sine sumtu contingens. *l. 14. pr. ff. de Muner. & Honor.* Calvinus *in Lex. jurid. h. voce.* posterior significatio hic potissimum intenditur. Glossa *in d. l. 1. ff. de Cust. Reor.*

#### THES. XII.

Priorem autem significationem non planè excludi rationis est, & fortè etiam Praxis ita fert: Quidni enim attendendi essent Pater, Avunculus, Præceptor, Dominus, Dominus Feudi, &c. *arg. l. 2. C. de Calumn. l. 1. ff. in jus voc. l. 2. §. 1. ff. qui satisd. cog.* quas optimè interpretatur Corasius. *4. Misc. c. 10.*

THES.

### THES. XIII.

Deinde divitiæ sive amplissimæ Facultates, dimetiendæ secundùm qualitatem Delicti, ( quia securitatem contra fugam præstare debent ) attendendæ sunt. Neque refert an possessor etiam sit in dignitate, imò etiamsi avarus, cui vita & sanguis pauperum, non minus dulcescit quàm agnina lupo, eas possideat, arg. particulæ alternativæ aut, quæ verificatur existentia alterius partis. Dissent. Crusius *de Ind. Del. P. 4. c. 10. n. 4. seqq.*

### THES. XIV.

Tertiò respicienda in Delinquente est innocentia, probabilis & præsumta scilicet, idque ne custodia sit gravior pœna, quæ incerta adhuc est. Quoniam verò pro cujuslibet innocentia præsumitur, *l. 31. §. 21. ff. de Edil. Edict.* cautio recipienda est quàm diu constanter de Delicto non constat, sed majora indicia innocentia quam reatus adsunt. Quod si exceptio notoria excludens dolum, quem pœna reposita ei competat, etiam de atroci delicto inculpatus, admittendus. e. gr. Si Mandator conventus de eade inermis excipiat de Mandato vulneris, illudque probet, e. gr. Confringe ipsi brachia & pedes, item signa vel percute eum ut ad dies vitæ suæ me in memoria teneat, modo non occidas. His & similibus casibus enim Mandator non est mortis causa neque impulsiva, neque moralis, sed saltem occasio. Non obstat illud tritum: si vis vitare peccata, vita occasionem; & vulnera ad mensuram dari non possunt. Resp. Ejusmodi quidem inferre dolum, non autem inferre dolum pœnæ Homicidii proportionatum. Huc refero casum, ubi quis ad mandatum liquido injustum attamen sub certissima comminatione mortis datum aliquem occidit, talis enim Mandatarius saltem extraordinariæ, fortè Relegationi subjectus est; quia charitas ordinata incipit à se ipsa. In Conscientia autem eum Homicidam esse verum nemo facile negabit. *c. qui*

70-

*resistit. c. XI. q. 3. add. Farin. q. 97. à n. 11. pass.* Si alter socio-  
rum de Homicidio accusatorum lethaliter vulneraverit, alter  
non, hic sub cautione dimittendus est, quia ut pl. pœna pe-  
cuniaria vel Relegatione talis afficitur, si fuerit miles ad certum  
tempus stipendio privari solet. Ex eadem causa ubi modera-  
men inculpatæ tutelæ non ex omni parte perfectum est, pro-  
pter antecedentem vel concomitantem exorbitantiam. e. gr.  
Si inermis aliquem provocavit, provocatum deinde fugit, &  
ubi effugere eum non amplius potest, interimit. Item si pro-  
vocatus à tali atrociter savierit in uxorem & familiam latitantis  
& desuper à primo latitante interfectus sit, conf. *art. 150. Ord.  
Crim.* Ubi enim defensio excedit offensionem, incipit esse  
offensio, contra quam parata est defensio. Non autem valet  
exceptio Ministri Publici si capiendum vivum sistere non po-  
tuit per *l. 1. C. de Execut. Rei judic. l. si cum nulla ff. de Re judic.*  
Nec Pater de Parricidio accusatus audiendus est, si excipiat de  
castigatione ubi instrumento lethifero usus est. *Carpz. q. 15.  
n. 9.* Filius rectè utitur exceptione moderaminis inculpatæ tu-  
telæ. Maritus propter concubitum cum soluta habet exce-  
ptionem non competentis Actionis. *l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de  
Adult. Zanger. de Qq. c. 2. n. 223. secus jure Can. c. 15. q. 5. caus. 32.*  
Si quis furti vel spolii accusatus excipiat se surripuisse bona Ban-  
niti post Bannum acquisita. v. *l. 22. §. ff. Mandati. v. tamen l. 9.  
ff. de J. Fisci.* alia fermè similis exceptio est in *l. 1. §. 2. ff. de Alea-  
toribus.* Calva autem est Furis exceptio se mutuassee saltem,  
Equum & credisse Dominum consensurum. *l. 48. §. 3. ff. de  
Usuris.* Nisi alia concurrant, e. gr. Amicitia, res mutuo dari  
vel locari solita. Ampliatur assertio ut citra cautionem rigore  
carceris eximendus sit delinquens, si ex Actis appareat eum ab-  
solvendum fore. *Mev. 3. Dec. 161. n. 9.* propter deficientem fi-  
nem. Sic dimittendus est qui interfecit ad mandatum Prin-  
cipis vel superioris, e. gr. Officialis, cujus mandati justitia erat

B

du-

dubia (1.) quia mandatarius eis jurejurando paritionem promisit. (2.) pro superiore militat præsumptio justitiæ. (3) in Mandatario deficit dolus & culpa. Conf. Mynf. 5. obs. 18. Qui in ebrietate citra culpam accersita deliquit, e. gr. si computationis socii cibo vel potui ejus quid admiscuerint, ut inebriaretur. Faber. in C. L. 9. t. 10. def. 7. n. 1. Fœmina quæ propter ignorantiam juris incestum juris Civilis commisit. l. 38. §. 2. & 4. ff. ad L. Jul. de Adult. c. de Gradibus c. 35. q. 8. Gail. 2. obs. 48. n. 7. add. Hipp. de Mars. ad L. qui ignorans ff. ad L. Cornel. de Falsis. n. 15. Qui criminis convictus ex ignorantia judicis ut confessio eliciatur, tortus, in tortura nihil confessus est; Propter Authoritatem Rei judicatæ, ejusque jam factam executionem.

#### THES. XV.

Q. An qui semel è carceribus aufugit, relaxandus sit sub idonea cautione. Negant Glossa in l. 25. §. 1. ff. de SCto Silan. & Claud. Hipp. de Mars. in Pr. Crim. §. Diligenter n. 110. & in Rubr. ff. de Fidej. n. 200. quia semel malus temper præsumitur talis, & quod per fugam cautionis beneficium amiserit. Sed contraria admittenda est, si fortè propter duritiem carceris fugit, vel si circa receptionem cautionis mora fuit nexa. arg. l. 17. §. 3. ff. de Ædilit. Edict.

#### THES. XVI.

Postremò in d. l. 1. ff. de Custodia Reorum, Dignitatis respectus habendus præcipitur. Est verò dignitas præeminentia propter merita Principis vel Legis beneficio specialiter indulta. Ejus IV. gradus in jure Civili recensentur, à primo appellantur perfectissimi, à secundo clarissimi, à tertio spectabiles, à quarto illustres. Conf. Calv. in Lex. b. v. qui ferme ab usu recesserunt, & hodie Dignitates dividuntur in genere in Ecclesiasticas & Ci-

Civiles, hæ in togatas & sagatas, omnes in Reales & Titulares &c.  
Omnium autem dignitatum hic habendam esse rationem in-  
nuit generalitas. Cæterum probanda est dignitas ab allegante  
eam, nec verò novum est dignitatem mentiri v. Danaus  
Aph. Pol. ex Herodoto n. 21. è Taciti Annalium L. 2. n. 15. ex  
Hist. L. 2. n. 4.

#### THES. XVII.

Sexum muliebrem hic venire in considerationem, argu-  
mento est auth. *hodie j. Novo C. de Cust. Reor. Damhud. Crim.*  
*c. 10. n. 10.* add. Theodor. *Jud. Crim. c. 4. aph. X. n. 20.* Deinde  
sexus foemineus comprehenditur semper à masculino ubi ea-  
dem est ratio; & Filia, Vidua, Uxor participant de radiis Patris  
vel Mariti. Thabor ad Barb. *L. XI. c. XIII. ax. I. Gæddeus ad l.*  
*1. ff. de V. S. ax. 2. 3. n. 22. seqq.*

#### THES. XVIII.


Tandem ex communi Doctorum opinione observanda  
est notabilis circumstantia in admittenda cautione; scilicet, an  
Reus præsens sit, an absens. Absens enim regulariter admit-  
tendus est, etiam in atrocibus, si capi non possit. *Carpz. Crim.*  
*q. 112. n. 82.* modo causam exprimat admissionis obtinendæ.  
*Ruland. de Commiss L. 3. c. 12. n. 3. Zanger. de Except. P. 2. c. 5.*  
*n. 5.* & audiatur cujus interest. *Mev. 3. Dec. 169. n. 4. & seqq.*  
Hinc idem *Mev. 3. Dec. 97. n. 1.* tradit tale axioma, quam  
difficulus præsens sub cautione dimittitur, tam facilè ab-  
sensus admittitur. Neque obstat (1.) adhibendum esse  
contra absentem Proscriptionem aut Bannum. Resp. Ho-  
minem etiam quævis pericula subire ut sustinet vitam,  
quare non ut conseruet. Neque obstat (2) præstita cau-  
tione Reum denuo aufugere posse. Resp. Posse & innocen-  
tiam suam deducere, sin secus, non obstante Cautionis excuf-  
sione Banno locus est, vel annotationi bonorum. vid. *Lynker.*


ad

*ad Strab. ff. t. de Cust. Reor. Tb. 12. Pr. L. R. L. 6. t. 1. a. 9. §. 2.*  
Ampliatu assertio ut absens pauper ad juratoriam admittendus  
sit. Zanger. *d. l. Mev. 1. Dec. 4.* Ne inopia sit causa cur offe-  
rentes defensionem non audiantur, aut graves carceris mole-  
stias sustinere opus habeant, indeque ipsis per indirectum &  
defensio auferatur & Reip. vindicta. Sæpe in oculis partis ali-  
quid fulget, quod sordet in opinione judicis & contra, indeq; litis  
eventus dubius prædicatur. Nec obstant mores hodierni in pra-  
vitatem nimis propensi, secundum quos sonat illud accommo-  
datum scopo: *jura perjura vitam servare memento.* Cui acce-  
dit illud Germanicum: *Kommt der Wolff zur Heyde / der Dieb  
zum Eyde / entlauffen sie beyde.* Resp. illud jura per jura est  
portio detestabilis Machiavellismi, qui omnia ad intentionem  
consequendam facientia bona reputat sive virtutis, sive vitii  
nomine alias veniant. Quis autem vel ubi Machiavellista,  
Atheus? Germanicum verò illud ad Reum præsentem accom-  
modandum. Deinde nemo præsumitur immemor salutis  
æternæ. (3.) Præstat qualem qualem recipere cautionem, &  
justitiæ cursui viam aperire, quam præcludendo eam & inno-  
centiæ deductionem & criminis persecutionem  
frustrà expectare.

SOLI DEO GLORIA.









Handwritten numbers: 141

Handwritten numbers: 152


99 A 6958


ULB Halle 3  
002 928 515  


Handwritten: VDA

Handwritten: Petrov







26

QUOD DEUS BENE VERTAT  
THESES  
CIRCA CAUTIONEM  
IN CRIMINALIBUS  
RECIPIENDAM, VEL NON.

*Quas*  
INDULTU  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
IN PERILLUSTRI ALBERTINA  
SUB PRÆSIDIO  
PRÆNOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
ATq; CONSULTISSIMI

DN. THEODORI PAULI,  
U. J. D. & Professoris Primarii,  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTO-  
RIS BRANDENBURGICI CONSILIARII, ET JUDICII  
AULICI RERUM CRIMINALIUM PRÆSIDIS,

*Domini Patroni atq; Promotoris sui æstimatissimi,*

Pro Facultate legendi in utroque Jure

*discutiendas exhibet*

JOHANNES KREMTZOVIVS,  
STETINENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI,

*Ad diem 19. Octobr. Anno M. DC. XCVI. Horis consuetis.*

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.